Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 673
Quelle:
Copyright:

Scriptori requiem lector depoſce perhennem
Qui mente pia petit dici aue Maria.

CCCXXII.

R.3294 Codex ejusdem rationis, Folior. 266. ab alio Scriptore, et praecedentibus ornatior eſt Tomus III. complexus *Quinquagenam III. Pſalmorum*, quorum primus ἀνεπιγραφως incipit: *Ecce unus pauper orat, et non orat in ſilentio*, ut edit. *Maur. cit. col.* 1091. Ad calcem hic: *Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo tercio finiui hunc librum in die Sancti Galli confeſſoris atque Abbatis. Deo gracias. Per me fratrem Wilhelmum.* Tres iſtos Coenobitas nemo ſanus otii aut deſidiae arguet, qui vaſtos ejusmodi Tomos ita gnaviter exararunt, ut toto opere calamum nunquam poſuiſſe, nunquam interquieviſſe videri poſſint. Exemplis ceterum ſat caſtigatis uſi ſunt.

CCCXXIII.

R.5 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. fol. max. charactere grandi, nitido per duas columnas exaratus, et literis initiorum luculentiſſimis eleganter picturatis, olim *Monachorum congregationis S. Juſtine de Padua, deputatus Monaſterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ora inferior p. 1. teſtatur, continet Partem priorem *Enarrationum D. Auguſtini in Pſalmos*, et ita inſcribitur: *In Nomine Domini Incipit Prologus Beati Auguſtini Super Expoſitionem Pſalterii.* Prologus hic manu Seculi XV. reſcriptus eſt, cum folio *primo Codicis* avulſo, non niſi tres lineae ultimae illius a prima manu reſtarent. Perperam vero ad *Auguſtinum* refertur, licet a variis *Codicibus*, antiquioribusque Editionibus ei tributus. Eſt enim *Baſilii* M. et graece legitur *Edit. Maur.* T. I. *Pariſ.* 1721. p. 90. f. adjuncta Verſione magis quidem preſſa, quam noſtra ſit, quae autorem habet *Rufinum Aquilej.* et ejusdem *Edit.* T. II. inſerta eſt a *Garnerio Append.* p. 713. cum aliis *Baſilianis* a *Rufino* verſis, ut ipſe in *Praef. ad Apronianum* teſtatur. Abeſt vero hic Prologus ab edito ſub *Rufini* nomine *Lugd.* 1570. f. *Commentario in LXXV. Pſalmos*, unde fulcitur Eruditorum ſententia Commentarium hunc *Rufino* ſubpoſitum fuiſſe, pertinereque ad alium Compilatorem, et fortaſſe *Vincentium* quemdam Presbyterum *Gallum*, ut viſum *Vallarſio*, qui teſte *Gennadio* c. 80. in Pſalmos ſcripſit, ſtatimque in Pſalmum I. locum ſat prolixum ſublegit *Auguſtino* noſtro, quod ὡς ἐν παροδῳ dictum. Initium porro hujus Prologi eſt: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt* &c. Finis: *ipſa Pſalmorum indicent initia.* Opus ipſum minio inſcribitur: *Incipit de primo pſalmo;* et ordinitur: *Beatus vir* &c. *De domino noſtro ihesu chriſto id eſt homine dominico* &c. ut Edit. *Maur.* T. IV. *Pariſ.* 1691. *col.* 1. f. quacum ita con-